

bis episcopum, a quibusdam collegis suis per Africam constitatis, multis de rebus insinulari; ac mihi permolestum videtur, in iis provinciis, quas divina providentia meæ devotioni mera liberalitate tradidit, et in quibus maxima est populi multitudo, plebem quasi in duas partes divisam ad deteriora deflectere, et episcopos inter se dissentire: Placuit mihi, ut ipse Cæcilianus cum decem episcopis qui accusare illum videntur, ac decem aliis, quos ipse ad causam suam necessarios esse judicaverit, Romam naviget; ut ibi coram vobis, necnon Reticio, Materno et Marino (1) collegis vestris, quos hujus rei causa Romam prope-rare præcepi, possit audiri, quemadmodum sanctissimæ legi convenire optime nostis. Porro ut de omnibus his plenissimam valeatis habere notitiam, exempla libellorum (2) ad me ab Anulino missorum litteris meis subjecta, ad supradictos collegas vestros transmissi. Quibus lectis perpendet gravitas vestra, quoniam modo prædicta controversia accuratissime dijudicanda sit, et ex præscripto justitiæ terminanda. Siquidem nec vestram sedulitatem latet tantam a me reverentiam sanctissimæ Ecclesiæ catholicæ exhiberi, ut nullum omnino schisma vel discidium ullo in loco a vobis relinqui velim. Divinitus summi Dei multis annis vos servet, clarissime.

§ IV. — *Melchiiadis sententia de Cæciliani causa.*

5. Eodem anno 315, Octobris secundo die, qui in sextam feriam incidebat, in domum Faustæ, Constantini uxoris, in Laterano convenerunt et con-sederunt iudices: Miltiades, episcopus urbis Romæ; Maternus Agrippinæ civitatis, Reticius Augustodunensis, Marinus Arelatensis, Meroles Medionalensis, alique quatuordecim episcopi Itali, quorum et nomina et sedes Optatus recenset. « His decem et novem considentibus episcopis, » inquit idem Optatus, « causa Donati et Cæciliani in medium missa est a singulis. In Donatum (A Casis Nigris, ut liquet ex Augustino brevic. Coll. diei III, n. 36, et lib. ad Donat. post Coll. n. 17) sunt hæc sententiæ latæ: Quod confessus sit se rebaptizasse, et episcopis lapsis manum imposuisse; quod ab Ecclesia alienum est. Testes inducti a Donato confessi sunt se non habere quod in Cæcilianum dicerent. » Cæcilianus omnium supra memoratorum

fuerit, ab Optato silendum esse. Quocirca Merocli, qui Mediolanensis tunc episcopus erat, pro Marco eo probabilius mallent, quod Constantinus, eo ipso anno Mediolani versatus, probatam ac perspectam habere potuerit Merocliis æquitatem. Inde tamen moveri quispiam potest, quod in eadem inscriptione, in qua denominatur Miltiades Romæ urbis episcopus, alterius, qui ei adjungitur, dignitas taceatur. Præterea verbum *τιμωτάτε*, *charissime*, quo epistola clauditur, indicio esse posset, epistolam hanc Miltiadi uni, non duobus scriptam esse, nisi et eadem scribendi ratio frequens occurreret in ipsis Romanorum præsulum litteris, quæ pluribus a pari inscriptæ sunt. Jam vero eruditorum de hoc loco conjecturas, et argumenta quæ ipsis vel adversentur vel faveant, exposui: nunc

πον τῆς καρταγεννησίῳν πόλεως, παρὰ τινῶν κολλήγων αὐτοῦ τῶν κατὰ τὴν Ἀφρικὴν κατεστῶτων ἐν πολλοῖς πράγμασιν εὐθύνεσθαι· καὶ τοῦτό μοι βαρὺ σφόδρα δοκεῖ, τὸ ἐν ταύταις ταῖς ἐπαρχίαις, ἃς τῇ ἐμῇ καθοσίῳσει ἀθαιρετοῦς ἢ θείᾳ πρόνοιᾳ ἐνεχείρισε, κἀκεῖσε πολὺ πλῆθος λαοῦ, ὄχλον ἐπὶ τὸ φαυλότερον ἐπιμένοντα εὐρίσκεισθαι ὡσανεὶ δεχσαστατοῦντα, καὶ μεταξὺ ἐπισκόπων διαφορὰς ἔχειν· ἔδοξέ μοι ἴν' αὐτὸς ὁ Καικιλιανὸς μετὰ δέκα ἐπισκόπων τῶν αὐτὸν εὐθύνειν δοκούντων, καὶ δέκα ἐτέρων οὓς αὐτὸς τῇ ἑαυτοῦ δίκῃ ἀναγκάσιος ὑπολάβηαι, εἰς τὴν Ῥωμὴν πλῶν ἀπίεσαι· ἴν' ἐκεῖσε ὑμῶν παρόντων, ἀλλὰ μὴ καὶ Ῥετικίου, καὶ Ματέρου καὶ Μαρῖνου τῶν κολλήγων ὑμῶν, οὓς τοῦτου ἕνεκεν εἰς τὴν Ῥωμὴν προσεταξαί ἐπισπεῦσαι, δυνήθῃ ἀκουσθῆναι, ὡς ἂν καταμάθοιτε τῷ σεβασμωτάτῳ νόμῳ ἀριμόττειν. Ἴνα μὲντοι καὶ περὶ πάντων αὐτῶν τούτων πληρεστάτην δυνήθῃτε ἔχειν ἡρώσιν, τὰ ἀντίτυπα τῶν ἐγγράφων τῶν πρὸς με παρὰ Ἀνυλίνου ἀποσταλέντων γράμμασιν ἐμοῖς ὑποτάξας πρὸς τοὺς προειρημένους κολλήγας ὑμῶν ἐξέπεμψα· οἷς ἐντοχούσα ἢ ὑμετέρα στερότῳτος δοιμάσει ὅν τινα χρὴ τρόπον τὴν προειρημένην δίκην ἐπιμελέστατα διενκηρήσαι, καὶ κατὰ τὸ δίκαιον τερματίζσαι. Ὅποτε μὴδὲ τὴν ὑμετέραν ἐπιμέλειαν λαθάνει, τοσαύτην με αἰδῶ τῇ ἐν θεσμῷ (sic) καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ ἀπονέμειν, ὡς μὴδὲν καθόλου σχίσμα ἢ διχαστάσιαν ἐν τει τοῦτω βούλεσθαι με ὑμᾶς καταλαπεῖν. Ἡ θεϊότης ὑμᾶς τοῦ μεγάλου Θεοῦ διαφυλάξοι πολλοῖς ἔτεσι, τιμωτάτε.

sententiis innocens est pronuntiat, etiam Miltiadis sententia, qua iudicium clausum est his verbis: « Cum constiterit Cæcilianum ab iis, qui cum Donato venerunt, juxta professionem suam non accusari, nec a Donato convictum esse in aliqua parte constiterit; suæ communioni ecclesiasticæ integro statu retinendum esse censeo. » Melchiiadis sententiam integram ab Optato relatam non esse liquet ex Augustino, epist. 45, olim 162, n. 16, qui eam ibidem laudibus extollit in hunc modum: « Qualis ipsius Melchiiadis ultima est prolata sententia, quam innocens, quam integra, quam provida atque pacifica, qua neque collegas, in quibus nihil constiterat, de collegio suo ausus est remove, et Donato solo (a Casis Nigris) quem totius mali principem invenerat, maxime culpato, sanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit, paratus litteras communicatorias mittere etiam iis, quos a Majorino ordinatos esse constaret; ta ut quibuscumque locis duo essent episcopi, quos

seligat quisque quod sibi magis arridet. Rei veritatem nos certius docuisset collationis Carthaginensis tertia pars, cap. 519, cui hæc ipsa epistola inserta erat, nisi hæc portio excidisset.

(1) Episcopus illos Gallos cum Romano convenire præcepit Constantinus, morem gerens huic Donatarum petitioni, in qua legere est: *Petimus ut de Galliis nobis iudices dari præcipiat pietas tua; quia, inquit, ab hoc facinore et dissensione immunis est Gallia.*

(2) Precum seu libellorum partem postremam Optatus circa finem lib. 1 exscripsit. Cætera desiderantur.

dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuis-
set ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia
regenda provideretur! O virum optimum! o filium
christianæ pacis et patrem christianæ plebis!... Hic
nec mansuetudo integritatem corruptit, nec integritas
mansuetudini repugnavit. »

6. Et in hac quidem sententia triplex suspicere est
providi pastoris temperamentum, quod deinceps Ec-
clesiæ similibus in causis magno usui fuit: primum,
quod totius mali principem Donatum damnare con-
tentus, cæteris ejus consortibus liberam respiscendi
facultatem reliquit. Alterum, quod etiam a Majorino,
qui Carthaginensi ecclesiæ in Cæciliani locum a schi-
smaticis præfectus fuerat, ordinatos ad communio-
nem suam admittere non recusavit. Postremum,
quod in his ecclesiis, in quibus duo essent præsules,
unus a Majorino, alter a Catholicis ordinatus, ei qui
prior erat ordinatus ecclesiam ipsam, quam regebat,
sic adjudicavit, ut et alteri plebem aliam regendam
provideri simul juberet.

7. Primum ex his temperamentis secutus Hilaris
Pictavensis episcopus se cum Gallicanis episcopis a
Saturnini et Ursacii et Valentis, qui Arianorum in
Occidente duces erant, communione separavit, « In-
dulta cæteris consortibus eorum respiscendi facul-
tate; ut nec pacis abesset voluntas, et principalium
morborum foetida et in corruptionem totius corporis
membra proficientia desecarentur. » Idque postea re-
gulæ instar in Ecclesia constanter obtinuit.

8. Alteri morem gesserunt non solum Africani cæ-
tholici erga Donatistas ad unitatem redeuntes, sed
et longe postea Felix II, papa, ut ecclesiarum ob
Acacii causam scissarum reintegrationem expedi-
torem facilioremque redderet, « nobis, » inquit
epist. 12, ad Flavitam, n. 4, « Deo inspirante provi-
suris rationabiliter... ut eorum quos ordinavit vel
baptizavit Acacius, salva confessione catholica, pro
charitatis Ecclesiæ reintegratione nihil pereat. »
Quod quidem illæsa fide indulgeri posse Africani cæ-
tholici in epistola, quæ collationis Carthaginensis cog-
nitioni I, cap. 16, inserta est, hac ratione probant:
« Neque enim in eis divinæ sacramenta veritatis, sed
commenta humani detestamur erroris; quibus sublat-
tis, fraternum pectus amplectimur Christiana nobis
charitate conjunctum. » Eandem rationem pluribus
explicat et illustrat Anastasius II, papa, scribens ad
Anastasium imp., n. 8. Ubi in antecessum præmon-
emus, quam frustra idem Anastasius papa apud Hinc-
marum, tom. II, pag. 278, sacris canonibus et de-
cretis decessorum non convenire atque concordare
idecirco dicatur, quod ordinatos ab Acacio damnato
in suis ordinibus recipere non detrectaret: cum il-
lum ea in re, et decessorum suorum Melchiadis ac
Felicis, et Afrorum decretis obsecutum esse palam
sit.

9. Tertium imitati sunt Africani episcopi, per
epistolam, quæ collationis Carthag. cognit. I, cap. 16,
inserta est, quæque apud Augustinum exstat epist.
128, Donatistas pollicentes, eos a se, si convicti ad

unitatem redierint, sic recipiendos esse, « ut non
solum viam salutis inveniant, sed nec honorem episco-
patus amittant. Poterit quippe, inquit, unusquis-
que nostrum, honoris sibi socio copulato, vicissim
sedere eminentius, sicut peregrino episcopo juxta
considente collega. Hoc cum alternis basilicis utris-
que conceditur, uterque ab alterutro, mutuo honore
prævenitur: quia ubi præceptio charitatis dilataverit
corda, possessio pacis non sit angusta; ut uno eorum
defuncto deinceps jam singulis singuli pristino more
succeedant. Nec novum aliquid fiet: nam hoc ab
ipsius separationis exordio, in eis qui damnato ne-
farie discissionis errore unitatis dulcedinem vel sero
sapuerunt, catholica dilectio custodivit. »

10. Istud porro de duobus episcopis in una eccle-
sia simul relinquendis consilium primum Arelatensis
synodi charitate inventum atque auctoritate factum
Tillemontius, tom. VI, pag. 49, existimat. Nec aliam
affert opinionis suæ rationem; nisi quod Romano in
concilio aliud circa eosdem episcopos a Melchiade et
sociis decretum fuit. Verum cum horum sententia
neque ab Optato, neque ab Augustino, neque
ab ullo alio integra transmissa fuerit, affirmari
certo nequit, illud alterum, quod Africani ab ipsius
separationis exordio apud se custoditum esse
testantur, in illa sententia minime fuisse proposi-
tum. Potuit enim fieri, ut Romana synodus, cui
Melchiades præerat, non unam in ecclesiis, in qui-
bus duo essent episcopi, componendæ pacis viam
panderet. Hoc certe ab iisdem Afris factum legi-
mus, qui cum unius ecclesiæ curam duobus episco-
pis simul permittendam proposuissent, hoc alterum de
duobus amovendis statim subjiciunt: « Aut si forte Chri-
stiani populi singulis delectantur episcopis, et duorum
consortium, inusitata rerum facie, tolerare non pos-
sunt: utrique de medio secedamus, et ecclesiis, in
singulis damnata schismatis causa, in unitate pa-
cifica constitutis, ab his qui singuli in ecclesiis sin-
gulis invenientur, unitati factæ per loca necessaria
constituantur episcopi. » Quæ verba Augustinus in
Breviculo, coll. primæ diei, cap. 5, sic summam
reddidit, pactum esse a catholicis docens, ut « si ple-
bes duos in una ecclesia episcopos ferre non possent,
utrisque de medio recedentibus, singuli constituere-
ntur episcopi, ab eis episcopis ordinandi, qui in suis
plebibus singuli invenirentur. » Et iis quidem novi
hujus temperamenti ante Arelatensem synodum, si
rem ex ordine narrat Optatus, jam præluxerat exem-
plum: cum Carthaginem missi sint Eunomius et
Olympius, qui duobus inde amotis, unum ordinarent.

11. Nempe Optatus verbis, quibus Melchiadis judi-
cium clausum est, relatis proxime subjicit: « Sufficit
ergo et Donatum tot sententiis percussum esse, et Cæ-
cilianum tanto judicio esse purgatum. Et tamen Dona-
tus appellandum esse ab episcopis credidit. » Ubi si
appellatio a Melchiadis sententia indicatur, ad eam-
dem attinere videtur, quod idem Optatus subnectit:
« Ad quam appellationem Constantinus imperator
sic respondit: O rabida furoris audacia! Sicut in

causis Gentilium fieri assolet, appellationem inter-
posuerunt. Eodem tempore idem Donatus petiit, ut
ei reverti liceret (*ita ms. German.*), nec ad Carthagi-
nensem accederet. Tunc a Filumino suffragatore sug-
gestum est, ut bono pacis Cæcilianus Brixiae retine-
retur: et factum est. Tunc duo episcopi ad Africam
missi sunt, Eunomius et Olympius: ut remotis duo-
bus unum ordinarent. Venerunt et apud Carthagi-
nem: fuerunt per dies 40, ut pronuntiarent ubi esset
catholica. Hoc seditiosa pars Donati fieri passa non
est. De studio partium strepitus quotidiani sunt ha-
biti. Novissima sententia eorumdem episcoporum
Eunomii et Olympii talis legitur, ut dicerent illam
esse catholicam, quæ esset in toto orbe terrarum, et
sententiam decem et novem episcoporum (*hoc est
Melchiadis et sociorum*), jam dudum datam non posse
dissolvi. Sed appellationem ab Optato notari, quæ
Arelatense concilium excepit, et ad id, quod post
idem concilium contigit, reliquam narrationem per-
tinere hinc plane nobis est persuasum: 1° quod su-
periora Constantini verba, « O rabida furoris au-
dacia! Sicut in causis Gentilium, etc., » ex Imperato-
ris hujus epistola ad episcopos qui Arelate conven-
erant (*apud Lab., tom. 1 Concil., pag. 1431, d. c.*)
descripta sint: deinde quod Augustinus, epist. 43,
n. 20, Arelatensis concilii judicium et ab eo appel-
lationem, necnon æquam Imperatoris indignationem
hoc ordine perstringat: « Neque enim ausus est
christianus imperator sic eorum tumultuosas et fal-
laces querelas suscipere, ut de judicio episcoporum,
qui Romæ sederant, ipse judicaret; sed alios, ut
dixi, episcopos dedit, a quibus tamen illi ad ipsum
rursum Imperatorem provocare maluerunt: quæ in-
re illos quemadmodum detestetur audistis. » Postre-
mo quod Optatus Melchiadis et sociorum adversus
Donatum sententiam non ut recens, sed ut jam dudum
prolatam commemoret. Sed et illud observatione
dignum, ut cum post Arelatense concilium Eunomius
et Olympius Carthaginem ad sedandos Donatistarum
tumultus missi fuerint, nulla hujus concilii mentione
facta, » sententiam decem et novem episcoporum
(Melchiade præside) jam dudum datam non posse
dissolvi » pronuntiarint. Unde id, quod Carthagine
gesserunt, non tam ex Arelatensis concilii, quam
ex Melchiadis sententia gessisse merito videantur.

12. Uno verbo Melchiades ea sententia, quam lau-
dat Augustinus, unitatis resarciendæ viam præmon-
stravit: adeo ut diversos illos modos, quibus Afri
catholici schismaticos sibi conciliare et ad concor-
diam revocare, sive in collatione, sive ante, tentarunt,
spectare liceat veluti diversos aditus pacificæ ejus
viæ, quam Melchiades illis aperuerat. Ipse clericis et
episcopis a schismate recedentibus gradus et honores
suos per indulgentiam servando, gravissimum res-
taurandæ pacis removit impedimentum. Deinde vero
Afri pacem hac via initam, variis modis, qui ab illa
non recedebant, coagmentare, prout tempus exige-
bat, studuerunt. Qua de re vide et Codicem cau-
num eccl. Afric., c. 117 et 118.

15. Unum adhuc, unde disciplina ecclesiastica il-
lustratur, circa sententiam Melchiadis ab Augustino
superius laudatam, observandum restat: quod vide-
licet in quibuscumque locis duo essent episcopi, ita
eum confirmari voluit qui fuisset prior ordinatus, »
ut tamen « alteri eorum plebs alia regenda commit-
teretur. » Cui judicio in Carthaginensi collatione,
cogn. 1, cap. 16, congruentes Afri, ubi non unus tan-
tum, sed et ambo episcopi, postulante populo, remo-
vendi sunt, singulis singulas ecclesias tribuendas esse
decernunt. Ideo vero istud observatu dignum puto,
quia effluxisse hinc videtur mos subinde usitatus,
episcopos qui a propriis plebibus aut non admissi aut
expulsi sunt, ad alias ecclesias transferendi. Inde
sanè nihil præter antiquam disciplinam commisisse
comprobantur, sive Leonis decessor Xystus III,
epist. 8, cum Perigenem Patrensibus ordinatum
episcopum, sed ab his recusatum, Corinthiis præfi-
ciendum curavit; sive ejusdem Leonis successor Hi-
larius, ubi Hermen, qui se a Biterrensibus exclusum
dicebat, Narbonensibus præesse permisit (*Hilar.,
ep. 8*), seu Joannes III, cum Joanni Alexandrino epi-
scopo e propria civitate expulso Nolanam ecclesiam
regendam tradidit (*Liberat., c. 18*). Ea ipsa ratione
excusatur quoque migratio Aprunculi, qui, uti Gre-
gorius Turonensis, lib. II de Gestis Francorum, c.
23, et Baronius, ad annum 484, referunt, « Lingon-
icæ civitatis episcopus, apud Burgundiones cœ-
pit haberi suspectus: cumque odium de die in diem
cresceret, jussum est ut clam gladio feriretur. Quo
ad eum perlato nuntio, nocte a castro Divionensi per
murum demissus, Arvernus advenit, ibique juxta ver-
bum Domini... undecimus datur episcopus. »

§ V. — *Melchiadis judicium Donatistæ antiqui respuunt, eumque postmodum traditionis librorum recentiores falso accusant.*

14. Quantumvis moderata fuerit Melchiadis sen-
tentia, Donatistis tamen non placuit. Hi quippe de
episcoporum judicio, in quo victi fuerant, statim
murmurare, atque precibus Constantino oblati ex-
postulare cœperunt. At hæc eorum expostulatio ap-
pellationis nomine donanda sit, necne, inter eruditos
disceptatur. Inter eos tamen convenit schismaticis
illos Melchiadis judicio non stetisse, iudices alios a
Constantino flagitasse, idque ab illis inique foisse
postulatum. Obtendebant nimirum, paucos admodum
episcopos sententiam tulisse, qui nec omnibus quæ
prius inquiri oportebat diligenter excussis, ad deprom-
endum judicium properanter accessissent. Hanc
tamen rationem illi tunc prætexebant, ut Romanæ
synodi judicium detrectarent: nec aliam memorat
Constantinus in ea epistola, qua plurimos ex diversis
ac prope infinitis locis episcopos in urbem Arelaten-
sem convenire ejusdem causæ finiendæ gratia præ-
cipiebat (*August., epist. 105, n. 8; Optat., lib. 1; Con-
stantinus, apud Euseb. l. x, c. 5*). Ex quo colligitur
Donatistis non solum ante concilium Romanum, sed
et post, toto scilicet intervallo illo quod inter hoc